





POSITIONES

E

DISCIPLINIS THEOLOGICIS,

QUAS

IN CAESAREO - REGIA SCIENTIARUM
UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PRO SUPREMIS IN THEOLOGIA
HONORIBUS CONSEQUENDIS

DEFENDENDAS SUSCEPIT

JOSEPHUS HECHSMANN,

B

C. R. CONVICTU,
PRESBYTER ARCHIDIOECESIS
OLOMUCENSIS.

Mense Maii die 9. M.DCCCXVI.



VINDOBONAE.

XLIV Ex 9 14
Bibliotheca-Capituli
Ritus graeco-catholici
Premisliensis.



Ex Historia Ecclesiastica.

1.

Ecclēsia christiana jam mature fati ad-
versis vexata fuit.

2.

Jejunia statim primis Christianismi tem-
poribus religiose observata fuerunt.

3.

Discrimen inter Episcopos quoad aucto-
ritatem, jam seculo secundo introductum,
ansam dedit stabiliendo post Concilium Ni-
caenum systemati metropolitico.

4.

Influxus religionis a Constantini M. tempore usque Carolum Magnum quoad imperium orientale minus proficiuus, quoad imperium occidentale, praesertim ejus statum politicum, laetissimos fructus produxit.

5.

Expeditiones cruciatas, saltim primo tempore bona intentione susceptas, mala plurima produxisse, haud negamus: ast effectus prosperos, ni superantes, aequam saltem lancem tenentes abjudicare, iniquissimum foret.

6.

Protestantismi propagatio mediis tunc temporis maxime obviis est adscribenda.

Ex Jure Ecclesiastico.

1.

Summa in ecclesia potestas universo Episcoporum collegio competit.

2.

Imperanti civili nullum quidem jus in sacra ipsa, attamen jus quoddam circa sacra adserendum est.

3.


De valore matrimonii statuit et iudicat civilis, de qualitate ejusdem morali et sacramentali ecclesiastica potestas.

4.

Solennitas essentialis, quam et jus canonicum et austriacum in contrahendo matrimonio requirunt, in eo est sita, ut parochus duosque testes praesentes sint, dum consensus matrimonialis a partibus declaratur.

5.

Si concurrat electio cum postulatione, praefertur electus, dummodo vota, quae retulit, unitate superent tertiam partem suffragiorum editorum.



Ex

Ex Archaeologia Biblica

I.

Hebraeorum jus belli in Cananaeos expensis rationibus omnibus videtur repetendum esse a prima occupatione regionis per Abrahamum, voluntateque, puteorum effossione altariumque aedificatione eam propriam sibi reddendi declarata.

2.

Lex fundamentalis reipublicae Hebraeorum a Mose promulgata tunc temporis aptissimum fuit medium, veram religionem conservandi.

3.

Religio mosaica moralitatem promovit.

4.

Hebraeorum post exsilium in religione avita perseverentia nitebatur complemento vaticiniorum de eversione regnorum Israël, Judae, Assyriorum, Chaldaeorum atque reditu ex captivitate.

5.

Sacrificia erant symbolica religionis exercitia, atque media illis temporibus, convenientia, studium pietatis exercendi.

Ex Hermeneutica.

1.

In sensu inveniendō usus loquendi, consilium orationis et cultura loquentis spectanda sunt, atque sensus his conditionibus respondens verus sensus sit oportet.

2.

Contextus orationis interpretem multum quidem juvat; sed in eo consulendo severissimae cautelae sunt adhibendae.

3.

Sensus moralis, quem recentiores quidam philosophi Sacris Litteris subjiciunt, veri sensus nomen non meretur.

4.

4.

In interpretatione legum, narrationum simplicium et locorum dogmaticorum essentialia debent proprie exprimi, cetera autem esse possunt tropica.

5.

Non negamus, Christum et Apostolos sese hinc inde ad tenuiores Judaeorum opiniones accommodasse; verum eo usque hanc accommodationem extendisse, ut philosophica interpretatio locum habere possit, minime concedimus.

Ex Introductione in libros N. F.

1.

Scriptores antiqui, authenticam librorum N. F. testantes, historice, minime autem dogmatice versati sunt.

2.

Interpolatio librorum N. F. neque argumentis internis, neque externis comprobari potest.

3.

3.

Priora 2 capita Evangelii secundum Mat-
thaeum genuina sunt.

4.

Tria priora Evangelia tam a parte ma-
teriae, quam a parte formae spectata ab
auctoribus nostris profecta censeri debent.

5.

Tam argumenta interna, quam externa
probant S. Joannem libri Apocalypseos au-
ctorem.

Ex Introductione in libros V. F.

1.

Inspiratio librorum V. F. non tantum
Judaeis fuit articulus fidei, sed insuper te-
stimoniis N. F. extra omnem dubitationem
ponitur.

2.

2.

Nonnisi dialecti cognatae sunt, quae non obstante jactura linguae hebraicae in interpretatione S. Literarum nobis certam hujus linguae cognitionem suppeditant.

3.

Conjectura critica in emendando textu hebraico graviter et moderate exercenda est; praesertim ars critica sublimior, quamvis respectu librorum V. F. sit necessaria, majori tamen, quam adhuc fieri solebat; cautione esset adhibenda.

4.

Pentateuchus non est recentiori aevo confictus aut compilatus.

5.

Documenta historica in Genesi contenta, licet factis ipsis sint recentiora, tamen sunt historiae certae, atque mythis aliarum gentium nullo modo comparari possunt.

6.

6.

Vaticinia Jesaiae de eversione regni Chaldaeo - Babylonici et de reditu Hebraeorum ex captivitate a cap. 40—66 neque sub, neque post finem exsilii babilonici scripta sunt.

Ex Dogmatica.

1.

Religio christiana praefulget characteribus revelationis divinae, tam internis, quam externis.

2.

Traditio etiam nunc non pro solo historico religionis subsidio, sed pro regula fidei haberi debet.

3.

Non tantum sequelae physicae peccati a protoparentibus commissi, sed et ipsum peccatum in eorum posteros transfunditur.

4.

Effectus mortis Christi primarius est remissio peccatorum.

5.

Satisfactio a Christo praestita, etsi fines intelligentiae humanae excedere videatur, rationi tamen minime repugnat.

6.

Per gratiam justificantem homines non adipiscuntur solam veniam peccatorum, sed peccatorum remissionem una cum sanctificatione.

Ex Ethica christiana.

1.

Destinatio hominis tam secundum principia rationis, quam secundum effata S. Scripturae consistit in consecutione boni sui completi.

2.

Fundamentum obligationis moralis consistit in rationabilitate actionum.

3.

Utut principium eudaemonisticum emollias, tamen characteribus supremo honestatis principio vindicandis non satisfacit.

4.

Jusjurandum minime est actus superstitiosus, sed actus religionis licitus et honestus, atque ad veritatem urgendam in praesenti hominum statu prorsus necessarius.

5.

Autochiria repugnat claris sanae rationis principiis et genio doctrinae christianae.

6.

Divortium ex natura honestatis internae spectatum semper illicitum est.

Aus der Pastoral-Theologie.

1.

Die pflichtmäßige Verwaltung des Seelsorgeramtes hat auch auf den Staat selbst einen sehr wohlthätigen Einfluß.

2.

Sowohl die Tugend als die Gemüthsruhe hat der Seelsorger durch seine Vorträge zu befördern.

3.

Das Recht Irrthümer zu widerlegen, muß dem Seelsorger eingeräumt werden.

4.

Mit vieler Klugheit und Behutsamkeit müssen Volkswirrhümer berichtet werden, wenn die Aufklärung nicht mehr gefährlich, als heilsam werden soll.

5.

5.

Das Fortsetzen der Berufsstudien im Amte trägt viel dazu bey, sich Achtung und Vertrauen zu erwerben und zu sichern.

6.


Der Seelsorger hat sich gegen den Ortsbeamten so zu benehmen, daß weder sein Amt, noch sein Lebensgenuß dabey leide.

7.

Irrende muß der Seelsorger mit Sanftmuth, Liebe und Geduld behandeln.

8.

Man kann nur dann mit Vortheil auf den Religionspötker wirken, wenn sich Fälle ergeben, in welchen er selbst den Zuspruch des Seelsorgers wünschen dürfte.



101

